



Iohannes filius fuit Eberhardi baronis in Vuald-
burg, & Agnetis ducissæ in Teck. Itaq; ab ijs pa-
rētibus in omnis generis uirtutibus educatus fuit.
Postea Cæsaris castra sequens magnam apud om-
nes authoritatem consecutus est. Patre uerò mor-
tuo in eius ditione successit, atq; prudentia & de-
xeritate sua magnum sibi apud Germaniæ princi-
pes nomē acquisiuit. Habuit is quatuor ordine u-
xores, ex quarum dote familiæ suæ opes & potenti-
tā plurimum auxit. prima erat comitissa Habspur-
gensis. secunda comitissa Zeyliensis. Ea cum maxi-
mam auri summam dotis nomine ipsi attulisset, ef-
fecit ut Iohannes quinque oppida Vualdsee, Ried-

lingen, Sulgouiam, Mengen, & Munderkingen pecunia redempta suæ diti-
onis fecerit. Postea etiam Zieliensem ditionem acquisiuit. Tertia erat comi-
tissa à Montfort. Cum autem nullos liberos ex suis uxoribus pro creasset, atq;
interim eius cognati et patruales omnes absq; heredibus essent mortui, ita ut
illustris illa familia ab eo solo dependeret, ne penitus interiret, quartam uxo-
rem ex familia baronum de Abensperg duxit, ex qua plures filios & filias reli-
quit, quorum posteritas etiamnū magna laude in Sueuia plurima loca admi-
nistrat. Cum itaq; Ioannes sobole esset auctus, tandem senio confectus
anno 1403 moriens, suam ditionem filijs reliquit. Huius po-
steritatem paucis in tabula subiicere
placuit.